

**05**  
**A**  
**2240**





JUBILAEI LUTHERA-  
OB AUGUSTANAM CONFENSIONEM CELE-  
BRATI DISPUTATIO FINALIS,

Quòd  
NONECCLESIA ROMA-  
NA, SED LUTHERANA SIT  
VERE CATHOLICA.

Quam  
Contra Jesuitarum, imprimis Huntlaei t. 1. contr. 2.  
de Eccl. c. 19. § 10. assertionem,

DEI TER OPT. MAX. AUXILIO

Jubente & Præsidente

Viro admodum Reverendo, Excellentiss: Clarissimo

DN. PAULO RÖBERO, S.S. Th.D.

& Professore celeberrimo, ejusdemq; Collegii p. t.  
DECANO Spectatiss. Pastore & Superattendente in Cir-  
culo Electorali Generali vigilantissimo, Synedrii Ecclesiast. Adessore  
gravissimo. Dn. Præcept. Fautore & Promotore suo omni  
observantiæ cultu ætatæm prosequendo,

( Qui orationem præmissurus est Secularem )

Inclytæ Reipub. Witeberg. alumni

Publicè ad d. 22. Decembr. horis matut: Excutiendam in templo arcis proponis

M. Abraham Lehman

Aut. & Resp.

---

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum CHRISTIANI THAM.

ANNO clò lº cº xxx,

ARA

MEMORIAE ET GRATITVDINIS

VIRIS

*Amplissimis, Consultissimis, Spectatissimis, Gravissimis  
variorum rerum usu & prudentia laudatissimis, Humanis-  
simis, Eruditissimis*

Inclytæ Reipublicæ witebergensis

DN. DN. CONSULIBUS

DN. BURCHARDO CLANNERO Synd.  
Curia Elect. Advocato & Practico Cele-  
berrimo.

DN. MICHAELI HORN.

DN. JUDICIBUS

DN. HIOB Schrötern.

DN. GEOR G. Burchartten N. P. & J. U. Pract.  
eminentif

DN. MATTH. Selfischen/

*Ut & reliquis h. t. in regimine constitutis Dn. senatoribus judicij  
assessoribus aequissimis, dignissimis*

DN. SIGISM. Gremplern DN. Andrea Behren

DN. Michael Blumen DN. GEORG: Schützen

DN. Johan. Bergern DN. Julio Joh. surhorst.

DN. VALENT. Dalichow

DN. DN: Promotoribus, fautoribus & Evergetis  
suis Patrum loco venerandis & lau-  
dandis erecta

M. ABRAHAMO LEHMAN.



05 A 2240

216



J. N. J.

THESIS I.

**I**nter alias rationes, quas Spiritus malignitatis hodiè pro dolor, in sanguinariis Jesuitis toties jam perfidia, regicidiorum, tumultuum reis, eorumque capite, Pontifice Romano urget, ut facies purioris Ecclesiae, pusillus ille grex Lutheranorum obscuretur deformetur, & exitiosissimis consiliis, ferramentis non argumentis, gladio non veritatis, sed militis, igne non Caritatis sed carnificis extinguatur, & omnis jubilatio ac memoria illius penitus tollatur (sed vivit Immanuel, vigilat qui custodit Israel) non minima est illa, quod ex falsa persuasione, maloque intellecto vocabulo CATHOLICUM putent, Romanam Ecclesiam debere extensam esse omnino tempore, & in omnibus locis, ita ut in toto orbe terrarum nihil audiatur nisi Papa, Papa.

II.

Sic enim Jesuita intellectam hanc vocem volunt. Bellarm. eorum *ωρμα* l. 3. de Eccl. c. 6. col. 218. & c. 7. col. 221. hujus appellationis hanc affert causam, quia illa semper fuerit & semper futura sit, additque amplitudinem & varietatem credentium, quando scribit: *Ecclesia vere Catholica non solum debet complecti omnia tempora, sed etiam omnia loca, omnesque nationes. &c.* Et mox subjungit notas circa hujus interpretationem observandas.

III.

Tannerus part. 2. anat. A. C. Dem. 1. § 1. p. 6. Universalitatem locorum & temporum urget. Stapletonus contr. 1. q. 3. art. 1. q. 47. quoad loca & tempora per omnes gentes toto orbe Ecclesiam vult diffusam. Consentit cum his Reising. in Man. Cathol. p. 179. (olim Jesuita; quod tamen agnitam veritatem Evangelicam retractavit, uti-

▲ 2

nam

nam oia. esata saperent!) *Becanus* p. 591. tom. 5. *Concl.* 2. *Fornerus* in *Goliatschwert* c. 4. art. 2. Et adhuc hodie nil frequentius auditur inter eos, als bey ihnen sey allein die rechte vhralte Römische Catholische Apostolische Kirche.

IV.

Verum nomen hoc CATHOLICUM quod concernit, non invidemus hoc Pontificiis, modò videant an jure teneant, & an ipsius rei veritas concedat; vocabulum profectò accuratius ponderatum, aliud monstrabit: siquidem non sufficit ad Ecclesiam veram, ut sit diffusa in omnibus locis, & ut visibiliter duret omni tempore prout Pontificii volunt, si enim non aliò modò sunt *Catholici* quam hoc, maneant *Catholici*, nobis non ita: siquidem scimus nostram Ecclesiam quoad externum splendorem aliquandiu his notis caruisse.

V.

Interim naturam & constitutionem Ecclesiae verae his notis non absolvi, mox patebit, idq; occasione verborum *Jacobi Gordonii Huntleyi societ. Jesu Theologi*, qui T. 1. contr. 2. c. 19. § 10. de Eccl. verbis satis pomposis Ecclesiae verae hoc tertium signum attribuit, quod sit CATHOLICA.

VI.

Ita enim inquit: *Tertium signum verae Ecclesiae est quod sit CATHOLICA seu Universalis. Est autem duobus modis Catholica* 1. quia durat omni tempore, ut probatum est 2. Est etiam Ecclesia CATHOLICA seu universalis, quod ad omnia loca & nationes dilatata sit post Christi adventum, Adde *Lorichium* alioque. Rationes autem quas subdit, nolumus examinare p. t. non enim sunt tanti ponderis, sed solum modò verba ascripta considerabimus, DEO benigne annuente.

VII.

In genere autem notandum existimamus, quod *Jesuitae* hic sibi invicem non consent, quoad modos s. respectus cur vocentur *Catholica*. *Stapletonus* urget duos Catholicismi modos, *Becanus* tres, *Greg. de Valent.* quatuor, *Huntleyus* noster etiam duos, verum ipsimet de hac re digladiantur, nos ad verba nostri *Jesuitae* impresentiarum solum accedemus.

In quo

## VIII

In quo 1. taxamus quod Catholicismum suum vocitet signum *vera* Ecclesiae, idq; facit mens Jesuitica falsâ persuasione imbuta, falsaq; hypothese innixa quasi sola Pontificia Ecclesia vera dici mereatur. Si enim *vera* esset vestra Ecclesia, tunc semper & solum hoc signum pro ut à vobis CATHOLICA intelligitur, ipsi attribuitur, jam verò vestra Pontificia Ecclesia, non sola habet vniversal. temporis, neq; per omnes semper provincias, & regiones fuit diffusa, ut jam probabimus.

## IX.

Ergò neq; hæ duæ notæ s. respectus Catholicismi, neq; Catholicismus vester est signum *vera* Ecclesiae; Ita enim argumentamur: Omne signum *vera* Ecclesiae veram Ecclesiam certò determinat: Jam verò Catholicismus Pontificiatum Eccles. non certè determinat *veram* Ecclesiam, ratio est in promptu, quia hoc signum pluribus Eccl. est commune, siquidem & nostra Ecclesia Lutherana ab initio N. T. duravit, adhuc durat, & DEI gratia, durabit usq; ad finem mundi, frementibus licet Jesuitis & Diabolo, E. si itaque hoc signum, quod pluribus Eccl. est commune, vestram Eccles. *veram* constituit, plures erunt Ecclesiae *vera* in vniversali consideratae, quod falsum.

## X.

Quocirca debuisset Jesuita distinguere prius inter *a* signa propria & essentialia quæ veram puramq; Eccles. irrefragabiliter denotant, & non sunt pluribus communia, qualia apud nos 1. Pura verbi prædicatio, 2. Legitima sacram: administratio. *B* & accidentalibus s. communibus, quæ pluribus Ecclesiis etiam falsis communia (qualia sunt per inter valla maxima locorū & temporū duratio,) quæ tamen non statim *vera* Ecclesiae sunt salutandæ pro ut Jesuita suam æstimat *veram* ex Catholicismo. Sed audiamus jam rationes quas *Huntl.* insufficienti latratu profert.

## XI.

Primo dicit, quia durat omni tempore, ut probatum est, sc. supra c. 3. ubi 6. rationibus probat, Ecclesiam veram perpetuò durare. Vult ergò contrà nos ita concludere ibid. Quæ Ecclesia

A 3

aliquan,

si, q. n. defect, illa non est vera Ecclesia, Luthera  
na, E.

XII.

Sed resp. 1. in genere. si sub Majore licet subsumere, & Ro-  
manensium Eccl. non erit vera, siquidem illa ipsa tempore im-  
primis Reformationis Lutheri summum defectum passa est, quā-  
do è nostris regionibus ut & aliis non vi ferri, prout hodie furi-  
bundis Jesuitis Catholicissimis scilicet Apostolicis in usu est, sed  
verbi, & inermibus armis profligata est.

XIII.

2. Resp. quod disting. inter *durationem perpetuam* quæ nun-  
quam ab Ecclesia separanda, quod & nostrates, dictis à Jesuita  
allegatis solent probare, ut enim Verbum Dei manet in æternum,  
ita & Ecclesia, in qua verbum DEI docetur, quocirca potius pro  
nobis quàm contra nos Jesuita disputat, & inter *visibilem clarita-  
tem, Externum splendorem*, quo interdum Ecclesia caret, tempo-  
re in primis persecutionum, nihilominus tamen manet sponsa  
DEI æterna, columna, firmamentum etc. Videt igitur Jesuita  
infirmitatem sui argumenti, quo vult probare id quod nemo no-  
strum negavit

XIV.

Nec obstat quod *Hunilaus* noster p. 143. ut & alij Jesuitæ ur-  
geant, Ecclesiam hinc inde comparari cum sole & ☽: jam autem  
sol & luna plena & perfecta sunt astra valde visibilia & omnibus  
conspicua, non autem invisibilia. R.

XV.

Prius concedimus libenter, sed probet Jesuita 1. ob id ipsam  
Ecclesiam cum ☉ & ☽ comparari 2. Ergò alterū negamus, quod nō  
sint quoad splendorem interdum invisibilia. Aperiant modò oeu-  
los, & tempore Ecclipsium solarium & ☽arium ex palatiis ac ob-  
servatorijs Jesuiticis haud gravatim procedāt, speculationibus ty-  
rannicis paululum ad Spiritū homicidam remissis, nisi cæci sunt,  
deprehendent ☉ & ☽ am omninò interdum Ecclipsari & splen-  
dorem externum amittere.

XVI.

Ob has ergò obfuscationes, & defecto Ecclesia cōparari potest  
cum



cum ☉ & ☽ a. Nobis si credere recusas Jesuita, audias *Ambrosium* cu-  
jus auctoritatem forte non rejicis, ita enim scribit *l. 4. Hex. c. 2*  
obumbrari potest Ecclesia, deficere non potest. Et in *Lucam c. 21.*  
*l. 10.* Quemadmodum menstruis cursibus Luna vel terræ oppo-  
suerit, cum fuerit è regione solis, vanescit: Sic & sancta Ecclesia  
cum lumine cœlesti vitia carnis obsistunt, fulgorem divini lumi-  
nis de Christi radiis non potest mutari, *vid. Gl. 4. Hex. c. 8. Philo*  
*Episcopus Carpathius in Cant. Cant.* Lunæ comparatur Ecclesia propte-  
rea quod quicquid habet divini luminis, id à justitiæ sole illo im-  
mobili atq; diuino accipit: Soli confertur propter veritatis splendo-  
rem in ea lucentis *vid. Es. 60. v. 19. Apoc. 21. v. 23. etc. Cant. 6. v. 9.*

### XVII.

*Objici* forsan, veritatis splendorem in nostris Eccles. non  
semper visum, *R. concedimus.* Sed dist. inter *splendorem Ecclesie in-*  
*ternum*, qui est essentialis & perpetuus, inq; oculis DEI splen-  
dorem illum non amittit, & *inter splend. externum*, qui est accid.  
& temporarius, qui licet non semper deprehendatur, pastores in  
exilium mittantur, templa prophanentur, non amplius locus de-  
tur publicis exercitijs, latitent Ecclesie in cavernis, nihil ominus  
tamen splendet hæc pressa Ecclesia in oculis DEI, quoad fidei pu-  
ritatem, qui eam suo tempore producet.

### XVIII.

Ergò *falsissimum* est, & experientie Veteris ac N. T. adversissim-  
um, esse notam *vera* Ecclesie omni tempore durare visibiliter  
ut adversarii volunt, *Falsissimum* est Ecclesiam pontificiam omni  
tempore visibiliter durasse, aliàs & Apostolorum Ecclesia fuisset  
pontificia, quod nec probatū nec probari unquam potest ab ipsis  
pontif. Opponimus enim epistolas Pauli, Petri a quibus multis pa-  
rasangis absunt decreta Pontificis. *Falsissimum* est durationem  
perpetuam solum esse notam *vera* Ecclesie, cum & Hæreses ab ini-  
tio mundi, zizania ferè cum tritico exstiterint, & illas adhuc  
oporteat inter nos durare & esse, prout Paulus *1. Corinth. 11. v. 19.*  
*docet.*

### XIX.

Abcant ergò Jurati Romani Pontificis satellites, abeat &  
nostre

noster *Huntl.* cum sua antiquitate & perpetua duratione, nobis antiquitas & perpetuitas *Christus Jesus est vera & viva*, quem non audire cum manifesto exitio conjunctum est. Addimus & hoc quod duratio illa, quæ *opinione* duntaxat talis, quæ non originem suam refert ad divinam relationem, quæq; doctrinæ cœlestis vera, sinceritatem & veritatem non conjunctam habet, eam non esse veram & genuinam Ecclesiæ notam. *D. Gerh. p. 896. de Eccl.*

XX.

Hactenus vidimus nullitatem rationis primæ *Huntlei*, quam protulit de Duratione s. tempore. Ad alterum, restat, ut accedamus, quod ita habet: 2. *Est Ecclesia Catholica quod ad omnia loca & nationes dilatata sit, post Christi adventum.*

XXI.

Est itaq; hoc argum: desumptum à locorum omnium & nationum occupatione; quò ipse vult ostendere & contra nos probare ideò Romanam Ecclesiam esse veram, quia ubiq; terrarum audiat, E. propterea est Catholica.

XXII.

Sed *Respond.* in genere nullam esse in argumto sequelam, siquidem & hæreses quemadmodum omni tempore durant, ita & ubiq; locorum deprehendantur, nullus enim ferè solus cœtus sed simul & semper zizania cum optimo crescunt tritico, & ut crescant vel crescere sinant, in mandatis dedit Christus Matth. 13. Quod si ergò ejusmodi Hæreses, quò nomine etiam veniant, ex hac locorum & nationum expansione vellent suis Ecclesiis addere, ipsas Ecclesias esse veras, certè Jesuita illis non concederet, quid ergò mirum, si & nos Jesuitis hanc consequentiam pernegamus.

XXIII.

Deinde *resp.* Jesuitam apertissimum committere falsum. Concedimus quidem libenter, pontificam religionem longè lateq; esse diffusam, sed an ad *omnia loca & nationes* diffusa sit, negamus & quidem rectissimè. Si enim ad *omnia loca & nationes* diffusa esset, nullus daretur locus, nulla natio, quæ non confiteatur fidem Pontificiam, jam verò *multa loca* dantur, quæ cum pontificiis

tificiis quodad fidem non sunt unanimes. Probo hoc ex ipsorum Pontificiorum assertione.

XXIV.

Arrige modo aures *Huntlae* & audi, quæ *Bellarminus* tuus cujus auctoritatem magni æstimas scribit *in præf. t. 1. Controvers. præfixa*. Quis ignorat, *dicit*, pestem Lutheranam in Saxonia paulò antè exortam, mox Germaniam pœne totam occupâsse, inde ad aquilonem & orientem profectam, Daniam Nortvvegiam, Sveciam, Gothiam, Pannoniam, Hungariam absumsisse, tam ad occidentem & meridiem pari celeritate delatam & Galliam, Angliam, Scotiam, florentissima quondam regna brevi tempore populatam; ad extremum Alpes transcendisse, & in Italiam usq; penetrasse. Hactenus *Bellarm.* quomodo hæc *Huntlae* cum sua pontificia locorum OMNIUM & nationum diffusionem conciliet, ipsemet videat, & ex abundantia legat quæ *Balduinus noster, Patzmanno* respondeat p. 878. *in phospobro veri Catholicismi*, in qua etiam sententia per aliquot pagellas *D. D. Gerh. p. 958. L. de Eccles.* multa scribit & tandem addit, si quis computatione facta collationem instituere velit, inter Eccl. Rom. Pontifici subiectam, & inter reliquas a jugo papalis Tyrannis liberis deprehendet non dum dimidiam orbis Christiani partem Pontificis potestati esse subditam.

XXV.

Et quanquam respondeat, p. 228. c. 22. *de Eccl. se concedere*, quod in variis Europæ locis defecerit; interim in Asia, Africa & vastissimis illis Indiis orientalibus & occidentalibus mirum in modum crevisse, crescereq; adhuc indies: Hæc notâ autem nostras Ecclesias destitutas esse, nulli dubium fore. *Resp.* ad ultimum ex *Bellarmino* desumpta, aliud monstrat, eo ipso autem dum concedit fidem Pontificiam in varijs Europæ locis defecisse, sibi pessimè contradicit & asserit Pontif. Religionem non ad omnia loca & nationes diffusam esse & dilatatam.

XXVI.

Deinde iterum fallit ac fallitur Jesuita, quod, in Indiis orientalibus & occid. mirum in modum pontificia Relligio creverit. Dari enim quatuor classes earum Provinciarum, quas Ecclesia Ro-

B

mana

manus .na amplitudine non attingit , inter quas prima est eorum, qui de Papa nihil audivere, vel si audivere, an homo an monstrum sit, parum curare, quales sunt *Asiani, Silices, Armeni, Palestini, Tartari, Persæ etc*: secunda vero eorum qui Pontif. Romano ejusq; tyrannidi fortiter restiterunt, ut sunt *Græci in Asia & Africa etc*: B. D. *Baldwinus l. citato ex Autoribus fide dignissimis citat & deducit, ad quæ Jesuitæ si possunt, respondeant, Legatur historia Ecclesiarum Meridionalium & Chytræj. etc.*

#### XXVII.

Nec obstat Bellarmini objectio Thraasonica; Tempore Apostolorum ipsorum Ecclesiam in toto orbe fructificare coepisse, E. esse Catholicam Resp. si eandem doctrinam & hodierna Pontif. Eccl. retinisset, libenter concederemus, quia a. multis modis ab ea distat ( legatur Hunnius in præf. comment: in epist. ad Romanos, item in loco de Ecclesia: Chemnitius; Reihingi liber Protestantium de concilio Tridentino ) laus amplitudinis & perpetuitatis ipsis minimè competit. Et quam nihil duæ notæ s. modi Catholicismi ad vera Ecclesiæ constitutionem faciant, veramq; Catholicismi rationem non absoluant, apparet, quia sic & Atheismus, Epicureismus, Mahometismus, Lucianismus pro Catholicis se venditare possent, imo & Synagoga judaica, quæ non minus ab initio N. T. imo etiam antea extitit, semper mansit, & per omnes terræ provincias etiamnum disseminata est. Nam in quacunq; ferè regione inveniuntur *papistæ*, ibi etiam facilè invenias *Judeos* quippe quos Christi & DEI paræ blasphematores lubentius apud se tolerant, quàm nos Evangelicos. *Meisn. q. 4. p. 31 de Titulo Cathol.*

#### XXVIII.

Cum ergò hæ duæ Catholicismi universalitates non solius vera Ecclesiæ notæ s. affectiones sint, restat ut Jesuitæ pro clausula jubilæi hujus *de Confes. primi* demonstremus, in quonam ratio veri Catholicismi consistat, quæ veram Ecclesiam Cathol. constituat, & quomodo pontificia Ecclesia hæc careat, nostra verò LUTHERANA unisè gendeat.

Vox

## XXIX.

Vox καθολικόν origine Græcum & ἀγροθον, à patribus post Apostolorum tempora captum, ab ipsis verò Apostolis non usurpatum, Derivatur ab ὅλης καὶ καθ' ὅλης vel καθ' ὅλης juxta totum vel in univèrsum, Hinc oritur καθολικόν univèrsale.

## XXX.

Eruditè autem B. D. Meisnerus de hac voce p. 282. Excubiaturum papist. sequentia notat: καθολικόν, propriè loquendo idem est, quod univèrsale, ideoq; Fides Catholica nil aliud notat quam fidem univèrsalem vel univèrsam. Duplex autem est vera religionis univèrsitas 1. Externa. 2. Interna. Illa respicit circumstantias 1. ubi, 2. apud quos. 3. quando doceatur, unde triplex emergit vera fidei univèrsalitas 1. Ratione loci, quod in univèrso mundo prædicetur 2. Ratione ætatis, sexus & conditionis quod omnibus hominum generibus 3. Ratione temporis quod omni tempore audiatur, & usq; ad diem ultimum duratura sit. Sic ergò fides Catholica quoad externam univèrsalitatem est, quæ in toto mundo, annunciata, ab omni generis hominibus recipitur duratura. Interna verò univèrsalitas scripturam respicit, & hoc indicat, quod vera fides omnia comprehendat credatq;, quæ tum Prophetarum tum Apostoli docuerunt, quo sensu Catholicum idem est quod Orthodoxum, & opponitur Hæretico. Ut enim Hæreticus ille dicitur, qui dogma peculiare & scripturis adversum spargit: Ita Catholicus est, qui singularia hominum commenta non attendit, sed univèrsam doctrinam Apostolicam sincerè amplectitur, consensumq; illum fidei sartum tectumq; custodit. Atq; hæc est illa duplex univèrsalitas, quæ si accuratè consideretur fidem orthodoxam resp. prioris univèrsalem, respectu posterioris univèrsam nuncupare possumus. Estq; hæc posterior principalis & cum primis attendenda, si religio aliqua non tantum dici sed etiam esse debeat Catholica NB. Hæc. Meisn.

## XXXI.

Et hæc Interna vocis CATHOLICA significatio ab omnibus Pontificiis, ut & Huntlaeo quia pro ipsis non facit, omittitur, non attenditur, à nobis verò maxime urgetur, siquidem rei cardo in hac significatione consistit. Ea enim verissima est CATHOLICA EC-

B 2

CLERIA

CLESIA quæ universalitatem habet tum temporis, tum locorum, tum et-  
sam qualitatis, aliàs priores conditiones non sufficiunt, quin & ab-  
esse aliquando possunt, h. e. requiritur approbatio universalis do-  
ctrinae Propheticae & Apostolicae quam cum soli Lutheranae fidei con-  
fessores recipiant, & illæsam tueantur, soli etiam nominari debent  
CATHOLICI.

XXXII.

Idq̄ propterea, quia hujus LVTHERANAE fidei profes-  
sio non ad aliquam certam gentem est alligata, quemadmodum  
olim synagoga Judaica ad populum Israëliticum, quæ repleta tem-  
porum N. T. non potest vocari CATHOLICA, sed ex omnibus  
populis ἐν παντί εἶπεν Acto. 10. v. 35. καὶ ὅλης δῆς οἰκουμένης ἢ  
ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ per universam orbem dispersam Matth. 26. v. 13,  
ut ita doctrina Catholica sit quam non una aut altera Ecclesia solū,  
sed universus Christianorum cœtus omnes verè fideles, ubicunq; ter-  
rarum etiam vivant, unanimi consensu profitentur, eoq; ipsò se-  
cessum faciunt ab Hæreticis, qui à vero scripturæ sensu nefariè  
discedebant.

XXXIII.

Probent ergò Jesuitæ ipsorum Ecclesiam habere hanc verè  
Apostolicæ fidei universalitatem, sicut de universalitate temporis  
& loci Huntl. gloriabatur: aliter verò cum sese res habeat, ita in-  
surgimus. Quæcunque Ecclesia præter universalitatem temporis  
& locorum non habet universalitatem fidei in scriptis prophetarum  
& Apostolorum unicè fundatam, sed est analogiæ fidei & scri-  
pturæ contraria, ea non est verè & omnibus modis Catholica.  
Atqui Pontificia Ecclesia talis est. E.

XXXIV.

Major est manifesta. Non enim ex loco & tempore vera Reli-  
gio est judicanda, sed ex convenientia cum scriptura sacra sicut non  
cathedra sacerdotum sanctificat sed sacerdos cathedram: super-  
structi enim sumus super fundamentū Prophetarum & Apostolo-  
rum Eph. 2. Minor est etiam apertissima, possetq; si nostri instituti  
ratio pateretur, per omnes articulos fidei deduci, verum cum ex  
magnis magnorum Pontificiorum & Cardinalium publicis  
scriptis,

scriptis omnibus pateat hoc ipsum, & ipsemet noster *Humiliter*  
etiam cum reliquis ejusdem farinae opiniones foveat, non opus  
esse putamus volumina Pontificiorum ex scribere. Interim in  
gratiam æqui lectoris subjungimus ex ipsorum apertissimis opi-  
nionibus hoc loco probationis *Minoris*, quod nempe contra effata  
script. sacrae & analog. fidei doceant, ut patebit ex seq.

XXXV.

Contra sacram scripturam & analogiam fidei docent Pon-  
tificii I in Articulo de *scriptura sacra* illam arguunt imperfectionis  
contra 2. Tim. 3. 15. 17. obscuritatis contr. Psal. 119 v. 105. 2. Pet.  
1. 19. ejus lectionem Laicis prohibent contr. Joh. 5. 39. coll. 3. 16.  
Internum scripturae testimonium, ex terro Papisticae Ecclesiae de-  
stitutum rejiciunt, contr. 1. Thes. 5. v. 2. 1. Joh. 4. 1. Traditiones  
humanas Canonicis scripturis æquiparant cont. Es. 1. v. 12. Devt.  
4. 2. Ap. 22. 18. Literam mortuam æstimant cont. Rom. 1. 16. Act.  
5. 20. 1. Cor. 1. 21. Heb. 4. 12. Discrimen librorum Canonicorum  
& Apocryphorum tollunt, librosq; Apocryphos à Pontifice  
Romano, conciliis, Cardinalibus, Episcopis & clericis Canoni-  
zari posse, vanè jactitant; imò fontem Hebr. & Græcum impu-  
rum asserunt, vulgatamq; versionem latinam ex præscripto Con-  
cilii Tridentini Ecclesiae pro authentica obtrudere volunt. II. *De*  
*Ecclesia* negant eam esse propriè congregationem sanctorum, cõt.  
Rom. 12. 5. 1. Cor. 10. 17. Coll. 1. 18. Eph. 5. 26. Luc. 1. 75. Negant invi-  
sibilitatem quâ in re Bellar. l. 3. c. 12. de Eccl. mil. strenuum dispu-  
tatores se præbet contr. 2. Tim. 2. 19. Rom. 2. 28. 29. Jer. 31. 33. Luc. 17.  
20. Joh. 4. 23. 1. Petr. 2. 5. Negant eam posse errare sive consideretur  
totaliter sive partialiter leg. Bell. l. 3. c. 14. §. 4. de Eccl. cum tamè  
particulares Ecclesias errare posse & errasse ex Matth. 24. 24. 1.  
Reg. 22. 22. Esa. 56. 10. Matth. 26. 31. c. 7. 15. & 25. Gall. 3. 1. Act. 20. 30.  
constet. Ecclesiam Romanam pro capite omnium volunt habe-  
ri, imò visibile caput vicarium nobis obtrudunt contr. Eph. 1. &  
5. v. 22. Coll. 1. 18. III. *De sacramentis*, ea conferre gratiam ex opere  
operato non ex fide vel agentis vel suscipientis contr. Rom. 14. 23  
Marc. 16. 17. Sacramenta signacula gratiam divinam nobis pro-  
missam obsignantia esse, simpliciter pernegant Bell. l. 1. c. 14. de sa-

eram. contr. Rom. 4.11. 1. Petr. 3. 21. 1. Joh. 5. 8 Numerum septena-  
rium sacramentorum contra requisita sacramentorum, contra in-  
stitutionem Christi & V. T. sacramenta nobis obtrudunt, Chri-  
stum manibus suis baptizasse vult Suarez t. 4. fol. 200. contra Joh.  
4. 2. per Baptismum peccata radicitus tolli, ut neq; pœna, neq;  
reatus supersint contr. Rom. 7. 17. Campanas baptizant contr  
Matth. 28. 19. Infantes Christianorum sine baptismo decedentes,  
absq; discrimine in Limbum quendam relegant, decreto sangui-  
nario in Christianorum cœmiteriis locum denegant contr. Gen-  
17. 7. Matth. 19. 14. ceremonias ridiculas adhibent contr. Instit: Ba-  
ptismi & c. Laicis calicē denegant, Trans substantiationē propu-  
gnant, Hostias domunculis includunt & circum gestant contra-  
verba, intentionem, finem, & voluntatem Christi Matth. 26. v. 26.  
Marci 14. 22 Luc. 22. 19. 1. Cor 11. 23. IV. De Missa eam sacrificium  
verè propitiatorium esse, non erubescunt asserere contr. Hebr. 10  
v. 14. c. 9. v. 22. Honorem adorationis etiam de mortuis sanctis of-  
ferunt, cont. Matth. 4. 10. & Esa. 64. 16. V. Trinitatem S. S. non  
nisi admissa traditione demonstrari posse Immanuel à Vega Jesu-  
ita p. 10. in opp. facti Samos. contendit. contr. Matth. 3. 17. VI.  
Negant Christum secundum humanitatem esse DEUM cont.  
Matth. 16. 16. Joh. 20. 28. Acto. 2. 9. VII. Christum secundum a-  
tramq; naturam nostrum mediatorem esse pernegant, eiq; alios  
mediatores adjungunt, contra Gall. 4. 4. 1. Joh. 1. 7. Luc. 9. 56. 1.  
Tim. 2. 5. Hebr. 2. 14. VIII. Fidem excludunt à pœnitentia contr.  
Heb. 11. 6. Rom. 14. 23. IX. Urgent miracula in Ecclesia Consti-  
tuta, cum tamen ea sint signum Antichristi Deut. 15. 1. Matth. 24.  
25. 2. Thess. 2. 10. X. Contritionem esse causam & meritum remis-  
sionis peccatorum intrepidè docent, cum tamen solum sit medi-  
um remissionis peccatorum & solâ fide justificemur. XI. Extrâ  
mandatum DE I. instituunt satisfactiones temporales pro reatu  
pœnz, contra 1. Joh. 2. 2. Esa 53. XII. solâ fide justificari hominem,  
negant, quo circa urgent Bona opera, eaq; causam meritoriam  
justificationis statuunt contr. Rom. 3. 28. XIII. Defendunt nun-  
tiationes indulgentiarum contr. Rom. 5. v. 1. c. 8. v. 1. 17. seq XIV.  
Fingunt.



Fingunt purgatorium, illudq; tantis circumstantiis describunt,  
 ac si longo tempore in eo sudassent, contr. hist. Luc. 16. XV.  
 Negant justitiam imputativam contr. Psal. 32. 1. Rom 4. v. 3. seq.  
 hincq; Remissionem peccatorum per omnimodam ablationem,  
 contr. l. c. definiunt XVI. Impium dogma de dubitatione salutis  
 propugnant contr. 2. Tim. 1. 12. XVII. Ministris verbi conjugium  
 denegant contr. praxin Apostolorum & Tit. 1. v. 6. XIX. Pec-  
 cata specialiter enarrari volunt, contr. Psal. 19. 13. XIX. Liberi  
 arbitrij viribus conversionem tribuunt contr. Psal. 59. 10. phil.  
 1. 6. 1. Petr. 5. 1. 2. Corinth. 3. 5. XX. Peccatum originis extenuant,  
 Mariam matrem Domini ab eo immunem volunt contra Ps. 51. 26.  
 Job. 14. 4. Eph. 2. 3. &c.: Quæ omnia nullus Pontificiorum negat,  
 sed pro his & aliis absurditatibus tanquam pro aris & focus pu-  
 gnant. Annon verò hoc est scripturæ sese opponere, analogiæ  
 fidei in faciem contradicere? Annon exindè Catholicismus Pon-  
 tificiorum quoad Catholicam scripturæ doctrinam corrumpit? O-  
 mino *E. ea non est vera Ecclesia.*

### XXXVI.

*Contrà vero: Quæcunque Ecclesia his enumeratis erroribus*  
*sese opponit, & docet 1. sincerum DEI verbum ab omnibus scorijs*  
*traditionum & fictionum humanarum traditionum repurgatum,*  
*2. Legitimum sacramentorum usum, 3. sola fide justificari, 4. peccata*  
*non imputari, 5. Miraculis in Ecclesia constituta non adeò opus*  
*esse &c. Et ut unico verbo rei summam comprehendam, Verbo DEI in*  
*script. Proph. & Apostolorum non contradicit in Loco de pecca-*  
*to, de Libero Arbitrio, de persona Christi, de justificatione, De sacramentis,*  
*de Bonis operibus etc. ea Ecclesia est unice CATHOLICA dicenda;*  
*Jam vero Ecclesia LUTHERANA talis est. E. Major est manifesta.*  
*Minor per omnes articulos constat, Examinentur modo Articuli*  
*Librorum symbolicorum in primis ad huc DEI gratiâ inter nos Tri-*  
*umphantis Augustanæ Confessionis & Form. Concordiæ &c. quam uni-*  
*cè cum analogia fidei consentiant, quam singulariter cum ver-*  
*bo DEI conveniant, oculatenus patebit; quando ad limam verbi DEI*  
*examinantur & trutinantur.*

## XXXVII.

*Nec obstat 1. Nostras Ecclesias non posse vocari CATHOLICAS, quia vocantur LUTHERANAE. Resp.* qua ratione Pontificii dicuntur Catholici & simul tamen *Papista* à doctrina quam cum *Papa* communiter defendunt, ita eodem jure & nos *Catholici* dici possumus & simul *Lutherani* à *Luthero* cui credimus, non quia *Lutherus*, sicut *Papista* *Papa* creduat quatenus *Papa*, sed quia ejus doctrina, in scriptis Prophetis & Apostolicis unice fundata est.

## XXXVIII.

*Nec 2. Quod soli Pontificii Catholici, imo Romano Catholici vocitentur vulgo. R.* Utinam fateantur doctrinam *Pauli* Romæ olim plantatam, non litigaremus diu cum illis, quia verò a iud palam scribunt, *Paulo* aperte contradicunt, nudum nomen reservant absq; re, Quod autem vulgò ita dicuntur fit *Primo* vel *εἰς ὠνι. α. 5.*, *secundò* *κατὰ δόξαν* quia ita dici volunt. Nulla autem exinde firmiter ducitur sequela. Hæc Ecclesia vocatur *Catholica*, E. est. Non, sed Hæc Ecclesia vocatur *Catholica*, non quia ita vocatur, sed quia ipsius dogma non in humanis traditionibus sed in sacris literis unice fundatur, E. est. Retineant ergò nudum nomen, illud que nobis denegent, rem tamen ipsam in æternum ex cordibus nostris non eradicabunt.

## XXXIX.

*Nec 3. Nomen Catholicorum nobis detrahit Fidelium paucitas, Resp.* enim, 1. quod nostra fides olim satis superq; hinc inde diffusa fuerit, quanquam jam quoad externum exercitium prematur, DEUS tamen scit qui sint sui, & licet pusillum gregem habeat, semper tamen aliquos sibi reservat, qui aliquando magno numero coram agno triumphabunt Ap. 5. 12. quia stolas suas non maculati sunt meretricis *Babylonicæ* fecibus, 2. Non est contra scripturam fidelium numerum fore parvum in primis circa finem mundi, eò enim tendunt vaticinia CHRISTI.

## XXXX.

*Nec 4. juvat Pontificios quasi ipsimet rejiciamus vocabulum CATHOLICORUM, siquidem ab ipso LUTHERO in tertii articuli*

ticuli versione pro voce Catholica substitutum esse Christiana:  
Ich glaube eine Christliche Kirche. Resp. 1. Chemn. 1. 3. L. C. p. 139  
commemorat & probat ante Lutheri tēpora in illo articulo hæc  
verba inventa fuisse, nil ergò novi Lutherus introduxit. 2. Factū  
est ne videamur Pontificiis favere vulgò ita dictis, 3. quia vox  
Christlich etiam Catholicam Ecclesiam propriè ita dictam inclu-  
dit, Abbat ergò hic Tannerus qui part. 1. Anat. A. C. p. 61. Calumni-  
atur, ideo vocitari nostras Ecclesias Christliche, quia solummo-  
dò recens natæ in Saxonia Ecclesiæ possit attribui, quæ tantum  
in Saxonia & non alibi inveniatur; R, aliud ex superioribus pa-  
tet.

#### XLI.

Nec 5. obstat quod, Thomas Henrici societ. Jesu theologus Fri-  
burgi Brisg. in Demonstr. Theol. hoc anno divulgata, quod nempe, Luthe-  
rana Congregatio non sit Eccl. Christi, objicit. in argumento 10. Luthe-  
ranam Eccl. non esse Ecclesiam, quia dissentiat ab Eccl. Catholica.  
Jam verò Eccl. Catholica (dicit) non est tantum universalis ra-  
tione temp: & locorum, sed etiam ratione dogmatum, ita ut in  
nullo articulo doceat errorem. Ergo qui in articulis fidei, Catho-  
licæ Eccl. contrarius est, ille docet errores & sequenter non purè  
prædicat verbum DEI. Resp. proprio hic Doctor Jesuiticus jugu-  
latur gladio. Vult enim universalitatem doctrinæ de Papisticis  
Ecclesiis colligere & quidem talem quæ in nullo articulo doceat  
errorem: verum Contrarium supra. Th. 36. ex scriptura contra  
Jesuit. probatum est. E. propter ea non pure prædicant ipsi ver-  
bum DEI, neq; sunt verè Catholici.

#### LXII.

Obtrudit autem nobis solidas ut purat rationes 1. quia Aa.  
Conf: in initio articul. de abusibus vocitet Ecclesiam Pontificiam  
Catholicam. Ergò, colligit est etiã Catholica. Resp. pete ex Th. 38. 2. à  
Testimonio Lutheri colligit ex Epist. de Anabaptism. ubi ait: Ego di-  
co, sub Papatu esse verum Christianismum, &c: Ergò, vult Col-  
ligere Papatus est verus Christianismus. Resp. Dedecus est tantum  
Doctorem non videre quam absurdum sic confundere Papisimum ipsum  
cum eo, quod est sub Papisimo. Sic omninò sub Papatu fuit Ecclesia  
vera, sed non Papatus ipse fuit Ecclesia vera. 3. Ad 3. rat. quod

C

Lutherani

Lutheri aut. Quæteantur in Eccl. Romana esse veros sanctos. Resp. est eadem cum præced. quia n. vera Eccl. fuit sub Papatu E. & veri sancti, sed quæ ratio E. Romana Ecclesia est sancta? Nulla, jmo ridiculum quod urgei Francif. & Dominicum ab A. Conf. vocari sanctos, hos autem eandem fidem habuisse cum Pontif. Ergò, Resp. Ita vocantur non quod sint vere sancti sed quia ita à Pontif. dicuntur, si a. eandem fidem habuerunt, quam Pontificii, ut Doctor urget, nil minus quam verè sancti fuere.

XLIII.

Jure itaq; majori quoad rei veritatem, ut hæctenus monstravimus, Lutheranae Ecclesiae & quæ cum ea eandem foveat fidem, Catholicae vocantur præ Romano Papisticis, quia cum universae fidei ab Apostolis & Prophetis professæ & in toto terrarum orbe creditæ analogia conveniunt, quod erat probandum.

XLIV.

DEUS optimus Maximus Ecclesiae verè Catholicae autor propagator & conservator propitius, ut hæctenus ita & impofterum hæc Catholica Ecclesia nostræ vineam tueatur, eam pressam iterum faciat progerminare, det pacem in diebus nostris & tranquillitatem, Adversariorum falsa dogmata supprimat, ipsis sanior mentem largiatur, ut Spiritui mendaci valedicant, quo omnes in univèrsam tandem convertamur, & in vita æterna jubilantes & triumphantes de sabbatho in sabbathum canamus & triumphemus AMEN.

Adjectanea.

1. Aug. Confessio. nullis stipata est mendaciis, neq; sibi neque script. sacrae, contradicit, neq; Doctrinam novam continet contr. Pazm.
2. Lutherana Relligio ex nullis conflata est Hæresibus.
3. Lutheri nativitas, vita & mors non fuit Diabolica.
4. Lutheri vocationem legitimam non imbetit miraculorum Pontif. defectus.

5. Lutheri

5. Lutheri nuptiæ non fuerunt incestuosæ Tom. 9. Gerfol. 227. seqq. neq; ipsius conjunx inter scholares vagata est per biennium antequam Lutheri facta uxor, uti calumpniatur Henrici arg. 1. sed castam piã & pudicam vitam egit.
6. Lutherani non sunt Diaboli Discipuli contr. arg. 6. Jesuitæ Henrici, neq; ipse Luth. à Satana informatus multominus ejus familiaris fuit contra os impudentiss. Pazmanni.

Δ. T. ©.



VIRO EXIMIO

DN: M. ABRAHAMO LEHMANNO  
Amico meo Theologicè disputanti.

**N**osse cupis, quanam sit vera Ecclesia CHRISTI  
Num grex Lutheri vel synagoga Papæ!  
Hasce Theses verbo conformes pellege, dices;  
ROMA vale! sit grex iste pusillus AMOR!

Gratulat: applaudit

M. Johannes Schwalbe  
vocatus P. & S. Sonnewaldensis.

*Aliud.*

M. ABRAHAMUS LEMANU (c) pro S.  
*ἀνάγε.*

*Arma habes nunc malum*

**A** *Arma* Magister habes hæc sunt tibi Biblia sacra  
His audes Papam nunc reprobare malum

J. D. S. M.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Faint, illegible text in the upper middle section of the page.

Faint, illegible text in the middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower middle section of the page.

Faint, illegible text in the lower section of the page.

Faint, illegible text at the bottom of the page.



05 A 2240

ULB Halle

3

003 784 134




VD17









JUBILAEI LUTHERA  
OB AUGUSTANAM CONFENSIONEM CELE-  
BRATI DISPUTATIO FINALIS,

Quòd  
NONECCLESIA ROMA-  
NA, SED LUTHERANA SIT  
VERE CATHOLICA.

Quam  
Contra Jesuitarum, imprimis Huntlaei t. 1. contr. 2.  
de Eccl. c. 19. § 10. assertionem,

DEI TER OPT. MAX. AUXILIO

Jubente & Præsidente

Viro admodum Reverendo, Excellentiss: Clarissimo

**DN. PAULO RÖBERO, S.S. Th.D.**

& Professore celeberrimo, ejusdemq; Collegii p. t.  
DECANO Spectatis, Pastore & Superattendente in Cir-  
culo Electorali Generali vigilantissimo, Synedrii Ecclesiast. Adessore  
gravissimo. Dn. Præcept. Fautore & Promotore suo omni  
observantiae cultu ætatam prosequendo,

( Qui orationem præmissurus est *Secularem* )

Inclytæ Reipub. Witeberg. alumniis

Publicè ad d. 22. Decembr. horis matut: Excutiendam in templo arcis proponis

M. Abraham Lehman

Aut. & Resp.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum CHRISTIANI THAM.

ANNO 1633,

213.